PRO BENEDICTO XIV.

AD SUPREMUM PONTIFICATUM EVECTO

ORATIO

QUAM BONONIÆ HABUIT KAL. SEPTEMB.

D. PETRUS GRATIOLIUS

Cong. S. PAULLI vulgo Barnabitarum
in ea Urbe Præpositus.




BENEDICTO XIV.

P. O. M.

OMNIUM VOTIS FORTUNATISSIMO

D. Petrus Gratiolius Cong. S. Paulli

PERPETUAM FELICITATEM.



AD Thermas Porrectanas cum esſem, B. P., fauſtiſſimuſque ille maximi honoris tui nuntius per Etruriæ montes celerrime penetraviſſet: ſive quod in eo, domicilio verſarer, quod hoſpitio Tui, aliquot

ante annos honeſtatum fuiſſe ſcirem: ſive quod ſuperiori die nonnulli, qui me convenerant, multa, ut fit, de ſingulari ibidem benignitate, ac facilitate tua memoraviſſent: ſive demum quod eximiam tuam in Ordinem noſtrum clementiam, tum maxime temporis, mecum ipſe perpenderem; tanta certe, ac tam vehementi lætitia perfuſus ſum, ut eam cohiberi cum nullo modo poſſe cognoſcerem: pauca meditatus, & quodam quaſi æſtro correptus, ſtatim me ad ſcribendum contuli, primamque hujus, quam ad Te dare audeo, Orationis partem, ea ipſa die compoſui, quam deinde Bononiam feſtinato redux, confectam, abſolutamque, in publica concione pronuntiare decrevi: tenue quidem meritorum in nos tuorum argumentum, ſed illud maximum, quod ex mea proficiſci imbecillitate poſſe ſentirem. Quod quidem ita, B. P., a Te accipi ſupplex, & ad genua provolutus exoro, ut cum excelſiſſimæ omnium dignitatis Tibi gratulationem præbere moliti ſumus: veniam quoque ſperandam fuiſſe nobis intelligas, quod neque ſupparem beneficiis tuis præclariſſimis, animi ſignificationem, neque ſatis ornatam, atque magnificam pro dignitate lucubrationem, exhiberi

beri

beri potuiſſe cognoſceremus. Verum de tua illa prorſus divina in omne genus hominum comitate nobis maxime ſperandum fuit, quam alias experti fuiſſemus; mihi quidem fauſte ominandum, quem Tu ad rem Bononienſem illuſtrandam cohortatus eſſes, Tu inquam, ornamentum ejus rei excellentiſſimum, & omnium ſæculorum monumentis celebrandum. Quando enim, ſive antiquorum ſcriptorum inopia, ſive rerum, ac virium mearum conditione, ac tenuitate, minus pervadi vetuſtatem poſſe doleo: illud maxime lætor ex me prodiiſſe laudum tuarum, quod quanquam exiguum, ac longe impar: qualecunque tamen ad commendandam Poſteris tui nominis immortalitatem, argumentum eſſe poſſe videatur. Verum non ita Rerum Tuarum præconia, me, B. P., ac ſtudia mea abripiunt, ut nullam ſibi partem vindicet indagatio antiquitatum. In hoc certe ſtudiorum genere neglecto ferme, ac prætermiſſo, Inſtauratorem Te, ac Suaſorem me habuiſſe gloriabor; & ſi quid oculis tuis non indignum (quod tamen e mea facultate vix eſſe ſperandum video) tandem aliquando compegerim, pedibus tuis ſiſtam, ſin minus operis præſtantia bonum, at cohor-

tationum tuarum ſuaſione non improbandum. Interea dum leviſſimum hoc munuſculum offero, ne me pedum tuorum oſculo beare renuas, ac Te ipſum tandiu feliciſſimum, ac beatiſſimum ſerves, quandiu Chriſtianus Orbis incolumem ſe, ac florentem eſſe deſideraverit.

PRO

PRO BENEDICTO XIV.

Ad Supremum Pontificatum evecto

ORATIO.



I quid unquam fuit, quod Romanæ Urbi fortunatissimæ, quod Italiæ exultanti, quod Christianæ Reipublicę Provinciis optimis, Regnisque omnibus copiosissimis, quod Principibus Viris amplissimis, quod potentissimis Regibus summo esset jure lætandum; illud profecto maximum est, quod immortali Largitoris Dei munificentia, in tanto præteritarum rerum squallore, ac luctu, post effusissimas omnium Ordinum preces, supplicationesque non intermissas, post tam diuturnum desiderium, ac dubiam expectationem, Prosperum tandem de Lambertinis, BENEDICTUM, *recenti nomine* XIV. ROMANUM PONTIFICEM, *rerum omnium terrenarum, ac cęlestium Moderatorem, munus omnium præclarissimum, Christianus Orbis accepit. Cujus quidem tam ingentis lætitiæ quantam sibi partem Urbs hæc ipsa vindicet, is unus ignorat, qui non eam, & ejus, quem Civem suum genuit Parentem, & quem Sacrorum Antistitem habuit, Alumnam quasi, ac Filiam, & quem in præsens Dominum auspicatur clementissimum, famulam haud scio, an Clientem dixerim, se facile recordari intelligat. Quę*

certe etsi minus consideranti perspecta essent, nimium equidem hilaritatis illa, & publicæ voluptatis argumenta prodirent, quibus non fora modo, ac templa, universasque Nobilium, ac Civium domos, verum etiam compita, pagos, ac municipia, agrosque omnes, & ut ita dicam, parietes ipsos gestientes undique, & collucentes ipsi perspeximus. Verum non tantum est felicissimæ hujus hilaritatis exhaustum, quantum nemo, etsi tenuis, exiguæque facultatis homo, satis præbere non possit. Ego sane, qui neque ingenio, neque industria, neque exercitatione, illud mihi videar in dicendo consecutus, quod in tanta oporteat rei dignitate, in tam profusa lætitia, in tam frequenti Eruditorum Virorum, quales vos estis, concione proferri; non is tamen sum, qui præclaram adeo, ac prorsus divinitus oblatam publicæ gratulandi opportunitatem sine ullo orationis genere præterire possim. Quis enim nisi rudis, ac prorsus illiberalis homo eximia negligat humanitatis, benevolentiæ, clementiæ singularis, a prima ætate in modicum hunc Ordinem argumenta, privatim quidem multa; ea tamen, quæ nisi palam augere beneficiis, nisi publicis exornare laudibus, identidem decrevisset, quanquam nobis summa essent, eximiæ tamen ejus munificentiæ non satis cumulata esse videbantur. Sunt hæc tam præclara certe, atque immortalia, tum apud nos, qui fortunatissima ejus præsentia fruebamur, tum apud universum Ordinem nostrum merita, ut si quid ornari studiose, si quid eloqui magnifice possit (atque utinam satis, & pro dignitate posset) illud aut nisi meditemur, stupidi simus, aut nisi moliamur, ingrati. Quamobrem rogo vos, obtestorque, ut hanc qualemcunque obsequentis,

gra-

gratique animi testificationem, lætantis, atque exultantis, gratulationem, quam quidem utriusque, quod in hac Urbe Congregatio nostra habet, Domicilii nomine, sacratam Numini, Majestatique ejus, vovemus dedicamusque, ea vos quoque humanitate excipiatis, qua me ipse, credo, dicentem, e summo illo honorum fastigio, si præsentem alloqui fas esset, facile tamen, & clementissime pateretur.

Illud tamen, illud est, quod Benedicto XIV. primum oporteat gratulari; eam scilicet ad summam amplitudinem, viam percurrisse, quæ plena honestatis est, plena laudis, solidæque gloriæ. Credo enim illud a primis annis memoria combibisse, quod Athenis fuisse perlegerat historiæ amantissimus Adolescens, aditum nempe nonnisi e Minervæ Templo, in Honoris Fanum patuisse, quo disceret sine scientiarum, ac bonarum artium cultu, neminem posse, nisi arreptitiam commendationem adipisci.

Itaque non is ad honores irrepsit, aut officiis Virorum Principum, aut favore illustrium Cognatorum, aut commendatione fumasarum imaginum, quarum certe æmulari famam a prima ætate constituit. Profecto si generis eximii nobilitatem intueamur, illud tam præclarum est, quam quodlibet historiæ prædicent. Pleni sunt Scriptorum libri, plena volumina Lambertinorum gestis, tam magnam Bononiensium Annalium partem Lambertinorum gens tenet, quantam requirere nemo possit.

Verum, non hæ tibi Pontifex O. M. ad honoris apicem viæ. Illis sint quibus & tardius ingenium ad cognoscendum, & judicium ad distinguendum obliquius, & lentius consilium ad decernendum. His illi se fulcris sustentent, his se comeatibus instruant ad arduum illud gloriæ iter capessendum. Sed Tu cujus, & mens

ad capiendum amplissima, & acies ad discernendum certissima, & promptissima deliberatio ad agendum, studiis Te optimarum facultatum imbuere, his auxiliis ad honorem munire, his gradibus ascendere decrevisti: Quapropter eloquentiam excolere, eruditionem investigare, divinitatem pervadere, humanum, ac divinum jus omne excutere, quæ prima fuere ætatis tuæ studia, eadem erunt suprema.

Hæc hæc fuit divina illa Sapientia, quam Roma ipsa plena rerum omnium studiis, plena omnigenæ eruditionis, cælestis, terrenæque doctrinæ non modo plena, sed prope exuberans, atque redundans; sic tamen oculos perstrinxit omnium, sic omnium implevit ora, ut de Te nonnisi perhonorifice, ac splendidissime boni omnes, atque doctissimi colloquerentur. Demens sim si hoc verbis amplificare, magnificare vocibus, aut eloquentiæ illustrare ornamentis velim. Sint hæ ubi laudis argumenta desint Tullianæ artes, blandimenta aurium, & illicia animorum. Verum ubi & scripta abs Te privatim, ac publice profecta, & spissa volumina crebris typis procusa, numero tam multa sunt, præstantia tam excellentia, omnium studiis, tam pervagata, quid aliud jam unum superest, nisi ut una piorum omnium voce, uno eorum, qui rite sentiunt, ac probe, & sapienter intelligunt judicio, atque consensu, immortales tibi gratias habeamus, gratulationes effusissimas præbeamus, quod certissimam ad summos honores viam, positus ipse in celsissimo culmine, ceteris indices omnibus, qui aliquid honesti avent, summamque illam, & quæ tibi assidet Sapientiam immortalem ostentes, cujus illecti desiderio, & spe capti solidæ immortalitatis, vestigia scrutari tua, aut si tantum audeant,

deant, eadem persequi diligenter insistant.

Hic tibi ad honores aditus, hæc via ad maximas dignitates. Hoc totum quantumcunque est, quod certe maximum est, totum est, inquam tuum. Nihil ex ista laude sibi detrahit familiæ nomen, nihil cognatio sanguinis poscit, nihil Majorum merita efflagitant, nihil studia vindicant Amicorum; propterea ut Solis instar tua ipse luce fulgeas, illustresque Orbem, cui modo præes, jubare nitidissimo: cujus utinam, Sol unice, ac fulgidissime, sic tenebras non ignaviæ modo, atque ignorationis discutias, sed nequitiæ item, atque erroris; ut irradiatæ per Te gentes omnes, illustrataque, ea tandem potiantur beatissima tempestate, quæ uno Religionis ritu, una divinorum fide, Homines in unum vinciat populorum omnium, atque nationum. Quod si postremam terreno Orbi imminere diem, inferaque huic, ac superæ rerum compagini dissolutionem unitas illa prætendat: O Homines felicissimos, quibus Rectore Te, Orbis deerit, ac omne fluxerit, quod est aliquando fluxurum!

Verum non quemadmodum honores ceperis, sed quemadmodum gesseris, multo est ad eloquendum magnificentius argumentum. Hic enim, hic loci est ubi se magnæ illæ, ac præclaræ virtutes prodere, & quasi ostentare gestiunt, quæ Te nobilissimo comitatu, ad hunc usque, quem scandis maximæ omnium dignitatis locum, stipasse Te, ac deduxisse hilares quodammodo gloriantur. Quarum certe si mihi, & miram illam frequentiam, & excellentiam singularem, tam perspicere, tam lustrare fas esset, quam tibi concessum est, qui beatissimo earum consortio, atque intuitu frueris, nulla orationis facultas esset, nulla vis eloquentiæ, quæ

non

non dicam exornare, sed ne recensere quidem rerum a Te gestarum partem aliquam satis posset.

Tu vales unus, & miram in capiendo sollicitudinem, & in agendo assiduitatem, & in secernendo diligentiam, & in conficiendo celeritatem, edicere, ac promulgare. Tu eam persequi, quam nihil fallere prudentiam, quam nihil inflectere justitiam, quam nihil allicere temperantiam, quam nihil minuere benignitatem potes. O praeclaram, si eloqui velis, in colendo Deo pietatem, sine simulatione; in profundendis opibus liberalitatem, sine jactantia; in regendis hominibus majestatem sine arrogantia; in administrandis negotiis, & sine festinatione diligentiam, & sine tarditate gravitatem! Haec Haec illa sunt Pontifex Optime Maxime, quorum nisi nos eloquio beare per Te ipsum velis, spem omnem lusimus persequendi copiam, aut amplitudinem gestorum tuorum.

Verum illud maximum, illud excellentissimum, illud omnium saeculorum admiratione celebrandum; in tam opima recte gestorum segete, in ditissima immortalium rerum copia, in uberrima virtutum omnium fertilitate, eum semper Tibi visum esse, eum videri, cui nihil illustre insit, nihil rarum, nihil pretiosum; propterea ut ne, credo, si te jactare, si gloriari velles, id tu scires quidem, quem pretium fugit ipsum Virtutum tuarum, quoniam praestantiam semper, non auram, non laudem coluisti recte factorum.

Sine quaeso Pater Optime, atque Sanctissime, in hoc spatiosissimo laudum tuarum freto paulo latius orationem nostram velificari; siquidem nec tibi superbiendi facultas suppetit neque nobis periculum imminet assentandi. Loquimur enim non quae procul a nobis,

sed

sed quæ prope nos acta, non clam patrata, sed coram, non per aures hominum excepta, aut per ora hominum diffusa, sed in omnium oculis gesta, in omnium conspectu vulgata. Hominem enim excellenti ingenio pollere, facili eloquio fluere, sapientia fulgere dexteritate præstare, dignitate eminere, probitate splendescere, hoc excelsum est, hoc sublime, hoc immortale: Verum in admirabili sapientia, in summa dignitate, in excellentissima probitate, sibi nihili esse, neminem temnere, nil propriis viribus arrogare, facilem se cunctis præbere, ceteris judicium deferre: hoc mihi instar monstri est, hoc inauditum, hoc prodigiosum, hoc Deo simillimum judico.

Itaque celebrabuntur illæ quidem, Benedicte XIV. rerum a te gestarum laudes non solum nostris, sed pene omnium gentium litteris, atque linguis, neque de locupletata operibus dissertissimis eruditione, de communita firmissimis legibus disciplina, de honestata ædificiis ingentibus Civitate, de aucta ornamentis optimis Arisque sanctissimis Religione, ulla unquam ætas nostrorum Civium, ulla unquam vetustas temporis conticescet. At vero quod & infimos complexus fueris, & vulgares adamaveris, & ineruditos instituteris, quod mediocris ingenii homines foveris Homo in tam eminenti fortunæ loco positus, Vir omnium, sine invidia, sapientissimus; Quod me ipsum [eo argumentorum utar quod in hoc dicendi genere est maximum] quod me, inquam ipsum tam humaniter exceperis, quod me, quem aliqua in eruditionem propensione duci intelligeres, crebro ad Bononiensem antiquitatem illustrandam sis cohortatus, lapidem non tam monumentorum egestate, quam mea potissimum imbecil-

lita-

litate, ad versandum quam difficillimum; Quod quæ vulgaturus esses scripta pulcherrima aliorum censuræ, & castigationi subjeceris, duos vero inter ceteros mei Ordinis Viros, disertos eos quidem, sed qui tecum non sane certent, Censores tibi atque Aristarchos decreveris; Quod ea in Congregationem nostram, humile genus hominum caritate, ea semper clementia fueris: prodigia sunt ista comitatis, facilitatis, modestiæ tuæ, quæ credo etsi procul gesta, etsi ficta essent, eo tamen studio animos omnium incēderent, ut te diligerent maxime, quem nunquam vidissent. Te vero, quem tandiu præsentem intuiti sumus, cujus mentem, sensusque, & os crevimus, cujus verba audivimus, cujus gesta mirati sumus, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? cum illi ipsi, ad quos tantum fama tui nominis peragravit, se abripi sentiunt amore tui, & magnis ad te in cælos evehendum stimulis excitari.

Jam enim mihi audire videor omnium gentium voces, omnium plausus Provinciarum, mihique obstrepit vis illa prorsus incredibilis lætitiæ, qua Regna omnia, accepto honoris tibi divinitus conlati nuncio, longe lateque ad extremos usque Christianæ ditionis fines, mirabili celeritate penetravit. Illæ enim sibi eam vivere tempestatem gratulantur felicissimam, qua te Christianarum rerum Moderatore Pax regnet, Pietas ferveat, Vitium exulet, Justitia vigeat, Copia exuberet, Inopia abscedat; qua demum sibi prospera, & fausta omnia, omnia beatissima, divina omnia jure ac merito polliceantur. Jam enim oppressa calamitatibus Italia respirat, ac primævam opperitꝰ Romanorum temporum majestatem. Assueta bellis Germania, non

ad

ad pristinos fines modo Turcarum gentem, sed ad multo arctiores profitetur validissime coercendam. Florentissima rerum Gallia recuperandæ iterum Hyerusalem gloriæ studio flagrare se sentit. Copiosissima opum Hyspania in opposita Maurorum littora instructissimis classibus minitatur. Quid de Lusitania dicam ditissima? Quid de fortissima Polonia? Quid demum de ceteris, in quibus Christiana res viget Regnis omnibus, atque ditionibus? Profecto quantum ad omnium Præteritorum Pontificum gloriam, amplitudine, ac dignitate accessisse te vident, quantum & multorum ex iis virtutem emulaturum Te esse sentiunt, & nonnullorum felicitatem longe victurum; tantum omnes intelligunt cum uberiori bonorum copia sibi esse potiundum, tum multo in dies suaviori voluptate exultandum.

Quæ cum ita sint, Benedicte XIV. omnium hominum Beatissime, gaude jam tuo isto tam excellenti bono, & fruere, cum majestate, & gloria celsissimi honoris, tum natura maxime, & moribus tuis. Quoties Te felicissimum videris, & omnium obsequiis cultissimum, omnium laudibus ornatissimum, toties in eximiam illam pietatem, in divinam sapientiam, in incredibilem virtutem intueberis, fontem non modo veræ, sed summæ felicitatis. De nobis quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de effusissima liberalitate, de singulari providentia tua cogitabis, quæ nobis non modo summa bona, sed sola esse possunt. Te itaque perpetuum sospitet Deus Optimus Maximus, ac tandiu in summo isto culmine incolumem servet, quandiu Te illius adscensu dignissimum præbuisti. Tibi Parens ille adsit æternus, atque omnipotens,

bo-

bonorum Auctor omnium, Largitor munificus, incomparabilis, ex quo Tu munus omnium liberalissimum cuncto hominum generi prodiisti. Te Filius ille fortunet Parentis supremi Soboles, divinæ mentis Eloquium, Servator Orbis sapientissimus, humanique generis Restitutor, qui Te omnium Virorum sapientissimum, conditæ a se Religionis Principem esse decrevit. Te Spiritus demum ille dirigat æternum Flamen, cordium Amor, ac mentium Arbiter, qui certe unus in tanto animorum dissidio, in tam longa concertatione, Purpuratorum Patrum mentes tam ante disjunctas, continuo tamen, tam arcte conjunxit, ut omnium vota, in Te delicium hominum, atque omnium, qui Te probe norunt, amorem; suavissime conspirarent.

Atque hic, Pater Optime, & Sanctissime, vela contraho orationis meæ, & me in portum victus fractusque recipio. Tempus deerit, si quantum de Te dici possit verbis complecti velim. Multa malim silentio præteriri, quam incondito orationis genere, minus honeste, ac pro dignitate tractari.

Unum restat, Auditores, ut quas immortales habemus Omnipotenti Deo, eædem quantum magnifice fieri possit, maximæ, ac solemnes agantur; quæ dum Ministrorum devotissima voce, celebrique instrumentorum concentu perficiuntur, vos vota nostra pro tam divini Pontificis felicitate, atque immortalitate, precum item vestrarum accessione cumulate.

DICEBAM.

BONONIÆ ex Typographia Laurentii Martelli. 1740.
Superiorum facultate.